


M. Ł. Taczanowski
Hommage de l'auteur.



S. 1140

Araucaria nonnullae
Nova Hollandiae.

J. Thorell



Wiel. do S. 16307
In. 8.7.52

S. 25111

rcin.org.pl

Öfversigt af Kongl. Vetenskaps-Akademiens Förhandlingar, 1870. No 4
Stockholm.

Jan 18 3160



Araneae nonnullae Novae Hollandiae, descriptae

a

T. THORELL.

[Meddeladt den 13 April 1870.]

Fam. EPEIROIDÆ.

Gen. *Epeira* (WALCK.) 1805.

*E. thyridota*¹⁾ N.

Ferruginea, pedum internodiis plerisque apice infuscatis; abdomine luteo, area magna dorsuali rhomboidi sub-castanea, et supra tuberculis tribus, duobus humeralibus, tertio supra-anali, munito; ventre macula magna sub-rectangula flava, aream transversam nigram includenti. — ♀ jun. (?), long. c:a 11 millim.

Deser. ♀. — *Cephalothorax* (c:a $4\frac{1}{2}$ millim. longus, $3\frac{1}{2}$ latus, latit. frontis c:a $2\frac{1}{2}$ millim.) altior, convexus, cum sterno, mandibularum dorso pedibusque (præsertim subtus) pilis longis crassis sparsus, parte cephalica lata et antice rotundato-truncata, in tuberculum obtusum, declive, *oculos* 4 medios gerens elevata; hi *oculi* in quadratum ordinati, multo altius locati quam *oculi* laterales, spatioque inter se distantes, quod *oculi* diametrum æquat. *Oculi* laterales sub-contingentes: *antici* eorum vix sua diametro a margine partis cephalicæ distantes, *postici* reliquis *oculis* minores; laterales a mediis spatio plus duplo majore remoti, quam quo distant *medii* inter se; *medii* *antici* cum laterilibus etiam *posticis*, ab antice visi, seriem paullo procurvane designant. *Sternum* ovato-cordiforme. *Mandibule* cylindrato-conicæ, crassitie femorum anteriorum, latitudine fere duplo longiores (2 millim. longæ), in dorso ad basin fortius convexæ. *Maxilla* breves, sub-orbiculatæ, apice late truncato. *Labium* transversum, apice late ro-

¹⁾ *θυριδωτός*, fenestratus.

Öfvers. af K. Vet. Akad. Förh., Arg. 27. No 4.

tundato-truncato. *Palpi* cephalothorace paullo breviores, crassitie metatarsorum, parte tarsali versus apicem sensim angustata. *Pedes* mediocres, prop. 1, 2, 4, 3, 1:mi paris cephalothorace fere 3:plo et dimidio longiores (16 millim.; 2:di paris 14, 3:tii 8½, 4:ti paris 13 millim. longi); pilosi et aculeati. *Abdomen* latius triangulari-ovatum, antice angulato-sub-productum, posteriora versus lateribus leviter tantum rotundatis angustatum, postice, a latere visum, fere ad perpendicularum truncatum, supra minus convexum, pilis longis crassis sparsum et tuberculis 3 minoribus munitum: 2 humeralibus, mucrone parvo obtuso corneo auctis, 3:tio supra anum sito; infra hoc tuberculum quartum adest.

Cephalothorax cum *mandibulis* et *pedibus* ferrugineus, parte cephalica in medio cum tuberculo oculorum infuscata; femora omnia, tibiæ, metatarsi tarsi que pedum saltem 4 posteriorum apice infuscata. *Sternum*, *maxillæ* et *labium* testaceo-fusca. *Palpi* ferrugineo-testacei. *Abdomen* supra lateum vel sub-testaceum, area magna (inter tria tubercula dorsalia) rufescenti-fusca vel castanea, antice in angulum producta ibique in ipso apice macula fusca signata, posteria versus acuminata, ad formam igitur rhomboides; hæc area in lateribus utrinque linea sinuosa fusca, extus albicanti-marginata, a tuberculo humerali ad tuberculum anale superius ducta, definitur. Latera abdominis infra et postice fasciis obliquis flavescentibus, lineis angustis fuscis disjunctis, picta; venter in medio niger dicendus, figura magna, flava, sub-transversa, antice (ad rimam genitalem) posticeque truncata, maculam vel fasciam transversam sub-rectangulam nigram includenti; maculæ duæ flavæ utrinque apud manillas quoque conspiciuntur.

♂ *ad.* (verisimiliter hujus speciei) a ♀ valde diversus: cephalothorax (4 millim. longus, 3½ latus) antice magis angustatus, fuscus, parte cephalica clariore; corpus subtus cum partibus oris et pedibus fuscus quoque quam in ♀. Oculi laterales tuberculo acuto, prominenti impositi; 4 mediæ aream antice paullo latiore occupantes; series antica paullo recurva. Palporum pars tibialis transverse valde dilatata, plus duplo latior quam longior. Clava crassitie femorum anticorum, bulbo valde complicato, subtus procurus angusto, compresso, sub-curvato, deorsum directo, testaceo præsertim conspicuo. Coxæ 1:mi paris in apice extus dente crasso, obtuso, sub-incurvo armatæ; tibiæ 2:di paris intus versus apicem valde incrassatæ (apice ipso rursus sensim angustato), ordinibus tribus spinarum fortiorum, tuberculis inpositarum. Omnia femora subtus serie spinarum longiorum instructa. Abdomen ad formam fere ut in femina, tuberculis 3; supra minus distincte pictum, macula media antice ante tubercula humeralia fusca, colore flaventi limitata; pictura ventris ut in femina, at minus expressa.

Exempla duo hujus speciei, unum masculum, alterum femininum, cum reliquis hoc loco descriptis araneis, a Celeberrimo R. LEUCKART dono mihi datis, in Nova Hollandia collegit Dom. PESSLER. Omnes in spiritu vini asservatæ.

Fam. THERIDIOIDÆ.

Gen. *Lathroedectus* WALCK. 1805.1. *L. Hasseltii* N.

Testaceo-fuscus, pedibus longis, late testaceo-annulatis, abdominis dorso ad basin maculis duabus, supra petiolum appropinquantibus, flavis, tum macula media et demum vitta media longitudinali ad anum ducta, flavis; lateribus abdominis fasciis flavis obliquis notatis; ventre fusco vel nigro, macula magna oblonga flava, antice truncata, versus medium angustata, postice fere tricuspidi notato. --- ♂ ad., ♀ jun.; long. 4—4½ millim.

Descr. ♀ jun. — *Cephalothorax* inverse cordiformis, dimidia tibia 1:mi paris paullo longior (1½ millim.), paullo longior quam latior, clypeo longitudine areæ oculorum mediorum vix dimidio altiore, paullo rotundato-prominenti, a latere visus leviter modo convexo; supra modice convexus, fovea ordinaria media magna, pone coxas 2:di paris locata. *Sternum* angustius cordiforme. *Oculorum* series duæ, quarum postica longior est, extremitatibus paullo appropinquantes, desuperne visæ paullo recurvæ, præsertim anterior. Oculi laterales inter se spatio distant, quod minus est quam spatium inter oculos medios anticos et posticos, et spatium inter anticos laterales et medios æquat¹⁾. Oculi 4 medii aream fere quadratam, antice parum angustiore, occupant; spatium inter oculos 4 posteriores diametrum oculi æquat, inter 4 anteriores paullo minus est. *Mandibulæ* plus duplo longiores quam latiores, angustæ, sub-cylindratæ, crassitie fere tibiarum, dorso recto, ungue brevior, tenui. *Maxillæ* in labium inclinatæ, in latere exteriori rotundatæ, intus ante labium lateribus rectis parallelæ, conjunctim apice rotundatæ. *Labium* subtransversum, sub-triangulum, apice late rotundato. *Palpi* tenues, cephalothorace breviores; unguis eorum tenuior, levius curvatus, dentibus paucis magnis subtus pectinatus. *Pedes* longi, graciles, prop. 1, 4, 2, 3: 1:mi paris cephalothorace circiter 6:plo longiores (10 millim.; 2:di paris 6¼, 3:tii 4¾, 4:ti 8¼ millim. longi); femur 1:mi paris c:a 3¼, patella 1, tibia 2¼, metatarsus 3, tarsus 1½ millim. longus. Ungues tarsorum superiores non fortes, versus medium angulo obtuso deflexi, apice longo, parum curvato, subtus sub-incrasato; dentibus paucis (c:a 4), gradatim longioribus et fortioribus multo, armati sunt; unguis inferior non multo brevior est quam

¹⁾ Species quædam generis *Lithyphantis* THOR., e. gr. *L. dispar* (DUFOUR) sive *Phrurolithus lunatus* C. КОСИ, *Lathroedectis* simillimæ sunt: in illis tamen oculi laterales inter se spatio multo minore remoti sunt, quam quo distant laterales antici a mediis anticis; in *Lathroedectis* spatium inter oculos laterales saltem æque fere magnum est atque inter anticos medios et laterales, sæpe hoc spatio majus. Clypeus in gen. *Lithyphante* transverse impressus, non ut in *Lathroedectis* convexus.

superiores, et dentibus duobus, exteriore crassiore, munitus; ungues spurii duo (hæc omnia in pedibus 1:mi paris). *Abdomen* oblongum, ovatum, satis altum, c:a $2\frac{1}{4}$ millim. longum. *Mamillæ* breves, conicæ; inferiores paullo longiores et fortiores quam superiores.

Cephalothorax testaceo-fuscus. *Sternum* ejusdem coloris, linea media ad longitudinem ducta testacea. *Mandibulæ* testacæ. *Maxillæ* et *labium* testacea, basi fusciora. *Palpi* testacei. *Pedes* fuscii, femoribus saltem posticis et tibiis basi testaceis, metatarsis et tarsis testaceis, illis apice et basi anguste infuscatis, his apice tantum fuscis. *Abdomen* fuscum, maculis vel fasciis abbreviatis duabus flavis, postice latioribus, apicibus supra petiolum appropinquantibus, aream sub-triangularum, postice macula flava media sub-transversa notatam, includentibus; pone hanc maculam vitta flava, posteriora versus late nigro-marginata, antice utrinque incisa, usque ad anum ducta est; latera abdominis fasciis obliquis flavis circiter 4 parallelis notantur, ut et vitta brevi longitudinali flava ante primam earum sita et cum ea angulum acutum formanti. Venter fuscus, postice niger, macula magna oblonga flava, antice truncata, versus medium angustata, apice postico lato in medio acuminato-producto; pone maculam puncta duo flava cum duabus aliis ad latera mamillarum sitis trapezium longius quam latius designant. *Mamillæ* fusco-testacæ.

Mas adultus, æquè magnus atque ♀ jun. supra descripta (long. cephalothoracis $1\frac{1}{2}$ millim.), pedibus etiam longioribus, unguibus tarsorum debilioribus, mandibulis apicem versus magis angustatis et subdivaricantibus, ordinibus oculorum apicibus evidentius appropinquantibus, palporumque structura differt. *Pedes* 1:mi paris c:a 13, 2:di 8, 3:tii $5\frac{3}{4}$, 4:ti 11 millim. longi. In pedibus 1:mi paris femur (ad maximam partem testaceum) $3\frac{1}{2}$, patella 1, tibia $3\frac{1}{4}$, metatarsus 4, tarsus $1\frac{1}{2}$ millim. *Palpi* breves, testacei, clava fusciori, parte patellari brevi, nodiformi, tibiali brevissima, in prokursum foras et sursum directum, parti tarsali sive laminæ bulbi arcte adjacentem producta, cum parte illa in clavam magnam, fere semi-globosam, diametro femoris duplo latiore concreta: clavæ superficies magna apicalis helice maxima, gyris c:a 4, e seta longissima formata occupatur; pone et intra hanc helicem, et ab ea prokursu laminæ interiore longo, angusto, deorsum directo separata, alia seta longa tortuosa conspicitur.

L. (Tetragnathæ) zorilla (WALCK.)¹⁾ sive *L. dotato* C. KOCH²⁾ ex America septentrionali hæc species affinis esse videtur. Specimen unicum utriusque sexus vidi.

2. *L. scelio* N.

Niger, tenuiter pubescens, cephalothorace tibiis anticis manifeste brevior, ordinibus oculorum non divaricantibus, pedibus

¹⁾ Hist. Nat. d. Ins. Apt., II, p. 221; Atlas, Pl. 19, fig. 2. D.

²⁾ Die Arachn., VIII, p. 115, Tab. cclxxxiv, fig. 683.

nigris vel piceis, abdomine supra vitta longitudinali flava, ante medium dorsi orienti et usque ad mamillas ducta notato; ventre macula magna flava, in medio angustata, antice posticeque truncata. — ♀ ad., long. c:a 10 millim.

Var. ♂. Abdomen, præter vitta media, strigis parvis flavis 2-3 utrinque in latere dorsi antice, et præterea interdum macula minore media flava ante vittam notatum.

Deser. ♀. — *Cephalothorax* inverse cordiformis, c:a $3\frac{1}{4}$ millim. longus, 3 latus, in lateribus antice leviter, postice fortiter rotundatus, parte cephalica antice angustata, fronte fere $1\frac{1}{3}$ millim. lata; fovea ordinaria magna, centrali, sub-transversa; impressionibus cephalicis profundis. Clypeus area oculorum 4 mediorum c:a duplo altior, mox sub oculos retusus, supra mandibulas prominens, a latere visus geniculato-convexus. *Sternum* latum, cordiforme, antice late truncatum. *Oculi* sub-æquales, in series duas sub-parallelas, extremitatibus parum appropinquantes dispositi; series postica longior, ambæ desuperne visæ paullo recurvæ, præsertim antica. *Oculi* laterales, ut posteriores medii, inter se spatio oculi diametrum æquanti distant; medii antici, tuberculo communi impositi, spatio hac diametro minori, reliqui oculi vero eâ majori inter se distant; 4 medii aream occupant antice paullulo angustiore, vix longiorem quam latiore. Spatium inter oculos laterales æque magnum atque (non majus quam) spatium quo distant laterales antici a mediis posticis. *Mandibulæ* duplo longiores ($1\frac{3}{4}$ millim. longi) quam latiores, longitudine faciei altitudinem fere æquantes, quam tibiæ angustiores, sub-cylindratae, dorso recto, immo sub-concavo; ungue parvo, tenui. *Maxillæ* in labium inclinatae, extus fortiter rotundatae, intus ante labium lateribus rectis parallelæ, disjunctæ, conjunctim apice rotundatae. *Labium* basi paullo latius quam longius, sub-triangulum, apice tamen late rotundato-truncato ¹⁾. *Palpi* tenues, breves (3 millim.), cephalothorace breviores; ungue graciliore, parum curvato, dentibus c:a 5 sensim longioribus, longis et fortibus armato. *Pedes* longi, prop. 1, 4, 2, 3; 1:mi paris cephalothorace circiter 5:plo et dimidio longiores (21 millim.; femur 6, patella $1\frac{1}{2}$, tibia $4\frac{1}{2}$, metatarsus 6, tarsus 2 millim.); 2:di paris $13\frac{1}{2}$, 3:tii $11\frac{1}{2}$, 4:ti 19 millim. longi. Tibiæ 1:mi paris quam patella circiter duplo et dimidio longiores: posticæ extus paullulo incrassatae. Ungues tarsorum superiores fortiores, versus medium deflexi et leviter curvati, extremitate longo, forti, subtus paullo incrassato, dentibus paucis (c:a 5) gradatim longioribus et fortioribus armati (in pedibus 1:mi paris); præter ungues veros ungues quoque spurios (4) exhibet tarsus.

¹⁾ Hanc fere formam *labium* in toto genere Lathroecto fortasse habet; interdum vero ante labium *labrum* -- quod in plerisque araneis est occultum -- ei adjacet et pars ejus esse videtur: hinc talis descriptio labii in Lathroectis, qualem e. gr. apud WALCKENÆRIUM legimus: «Lèvre triangulaire, grande et dilatée à sa base» (H. N. d. Ins. Apt., I, p. 612).

Abdomen magnum, æque fere latum et altum (usque ad 7 millim.) atque longum (ad $7\frac{1}{2}$ millim.), sub-globosum, ad mamillas conico-acuminatum; vulva ex area convexa cornea, antice rotundato-angustata, postice aperturam transversam exhibenti constat. *Mamillæ* breves, inferiores conicæ, reliquis paullo longiores et fortiores.

Cephalothorax niger, sub-luteo-pubescent. *Sternum* et *oris partes* nigra quoque. *Palpi* picei. *Pedes* nigri vel nigro-picei, extus picei, apice articularum nigro. *Abdomen* nigrum vel fuscum, nigro-pubescent, vitta longitudinali, ante medium dorsi initium capienti ibique utrinque incisa vel angustata, usque ad anuū pertinenti. In uno exemplo (juniore) paullo ante hanc vittam adest macula media minor sub-transversa et utrinque striæ 2 parvæ obliquæ, angustæ, ut et supra petiolum utrinque litura quædam: tota hæc pictura abdominis flava (an in vivis rufa?) Venter nigricans, vulva nigra; macula magna inter vulvam et mamillas conspicitur æque circiter longa ac lata, antice posticeque late truncata, in medio utrinque in formam trianguli excisa vel angustata, ex triangulis duabis, apicibus late truncatis conjunctis, quasi formata, vel clepsydræ latæ fere similis, flava vel fulva (in viva aranea rubra?)

Tria specimina feminea, quorum duo adulta, possideo. — Exemplum in Museo Holmiensi asservatum abdomen *totum nigrum* habuisse videtur. — Fortasse eadem est hæc species, atque *L. mactans* (FABR.) ex America Septentr.; de eo tamen dicit WALCKENAER¹⁾: »*L. mactans* a tous les caractères du genre»; inter notas vero generis hanc recepit: »yeux latéraux un peu plus écartés entre eux que ne le sont les intermédiaires»²⁾; quod in nostram araneam non convenit.

Formæ generis *Lathrodicti* pleræque hucusque descriptæ inter se simillimæ sunt, et ad paucas tantum veras species fortasse referendæ. DUGÈS³⁾ cum *L. 13-guttato* (ROSSI) sive *L. malmignatto* WALCK. ut hujus speciei varietates conjunxit *L. Argum* SAV. et AUD. (*L. oculatum* WALCK.), *L. venatorem* SAV. et AUD. et *L. lugubrem* DUF. sive *L. Erebum* SAV. et AUD.; et, quod ad *L. Argum* saltem et *L. lugubrem* attinet, rectum eum ita fecisse probabile mihi quidem videtur⁴⁾: *L. martius* SAV.

1) Hist. Nat. d. Ins. Apt., I, p. 649.

2) Loc. cit., p. 642.

3) Observ. sur les Aran., in Ann. d. Sciences Nat., 2 Sér., Zool., VII, p. 196.

4) In *L. venatore* oculorum series extremitatibus paullo appropinquare videntur. non, ut in *L. 13-guttato*, divaricare: vid. Descr. de l'Égypte, Atlas, Arachn., Pl. 3, fig. 11.

et AUD. fortasse etiam varietas modo est *L. 13-guttati*¹⁾. VAN HASSELT multas alias formas quoque varietates *L. 13-guttati* putat: *L. perfidum* WALCK., *L. mactantem* (FABR.), *L. formidabilem* WALCK., *L. variolum* WALCK., aliasque²⁾. Fere omnes hæc »species» multo imperfectius descriptæ sunt, quam ut ex descriptionibus (et figuris, si quæ adduntur), ad colorem fere unice spectantibus, equidem dijudicare audebam, quænam earum sint species, quænam tantum varietates. — Oculorum tamen situs non in omnibus Lathroedectis idem est: in plerisque oculi laterales longius quidem inter se distant quam medii antici a mediis posticis, in nonnullis vero non longius. Variant altitudo et forma clypei, forma abdominis (sub-globosi, piri fere similis, oblongo-elliptici vel sub-ovati), variat densitas pubis et pilorum, cet. In specie quadam, quam nunc ante oculos habeo, tibia I:mi paris duplo tantum longior est quam patella; in alia plus duplo quidem longior est quam patella, sed non longior quam cephalothorax; in formis supra descriptis longior quam cephalothorax est et plus duplo longior quam patella. In plantis et arboribus alii vitam degunt, ut e. gr. »*L. malmignattus* var. *tropica*», a VAN HASSELT (loc. cit.) descripta; alii sub lapidibus, lignis cet. Ad colorem multi inter se simillimi quidem sunt; sed in hoc genere, velut in aliis non paucis, pictura abdominis, etsi in una eademque specie valde varians, fere eadem esse potest in formis re vera distinctis — quod in *L. scelione* et *L. Hasseltii* supra descriptis vidimus. His de causis in synonymis Lathroedectorum extricandis explicandisque cautio maxima certe est adhibenda; et nescio an primum necesse sit, *mares* eorum partesque genitales utriusque

¹⁾ Cum *L. 13-guttato* comparandi sunt quoque *L. 5-guttatus* KRYN. (= *L. hispidus* C. KOCH?); »Totus aterrimus, villosus, abdomine magno, globoso, supra thoracem tribus, ante tubos textorios binis, guttis sanguineis» (Vid. KRYNICKI, Arachnogr. Ross. Decas prima, in Bull. de la Soc. Imp. d. Nat. de Moscou, Année 1837, N:o V, p. 75, Tab. VI, fig. 2); et *L. lugubris* (MOTSCH.): »Totus aterrimus, brevissime villosus, abdomine magno, globoso, punctis quattuor in dorso impressis; subtus leviter infuscato, ante tubulos textorios linea transversa sub-sinuata flava; tarsis infuscatis». (MOTSCHOULSKY, Not. sur deux Araign. venimeuses de la Russie mérid., *ibid.*, Année 1849 (T. XXII), N:o I, p. 290, Tab. II, figg. 3, 4).

²⁾ Conf. VAN HASSELT, Studiën over de z. g. Curaçaosche Oranje-Spijn, in Tijdschrift voor Entomologie, III, pag. 46—66, Pl. V, figg. 1—5.

sexus melius cognitatis habere, antequam de formis tam arcta propinquitate conjunctis recte judicare possimus. Quæ quum ita essent, melius duxi, speciem supra descriptam novo nomine notare, quam aliquod antea datum et valde incertum usurpare.

Fam. ENYOIDÆ.

Gen. *Storena* WALCK. 1805.*S. formosa* N.

Nigra, cephalothorace postice pedibusque rubris, abdomine supra maculis 5 flavis. — ♀ ad., long. 15 millim.

Deser. ♀. — *Cephalothorax* altus, 7 millim. longus, 4 latus, æque longus atque patella, tibia et metatarsus 2:di paris conjunctim, antice paullo tantum angustato, supra crasse impresso-punctatus et -strigosus, ordine media pilorum longiorum in parte cephalica; hac parte maxima, alte convexa, antice rotundato-producta; clypeo a latere viso cum mandibulis fere ad lineam rectam retro declivi, æque fere alto atque latitudo aræ oculorum, impresso-punctato; parte thoracica in lateribus leviter modo rotundata, sulco medio brevi longe pone centrum cephalothoracis sito. *Sternum* oblongius ovatum, cum *coris* subtus, *maxillis* et *labio*, longius pilosum. *Oculi* arcam e:a $1\frac{1}{2}$ millim. latam, paullo breviorum quam latiorum occupant; series media, ex 4 oculis formata, recta: medii eorum, qui reliquis oculis sub-æqualibus paullo majores sunt, cum oculis seriei posticæ rectangulum paullo longiorem quam latiorum formant; oculi 2 seriei anticæ longe disjuncti, oculum lateralem seriei mediæ magis quam medium appropinquantes, ab eo spatio remoti quod dimidiam diametrum oculi vix æquat. *Mandibulæ* oblique retro directæ, ovato-cuneiformes, quam clypeus fere dimidio longiores (long. e:a $2\frac{1}{4}$ millim.; lat. earum communis ad basin: $2\frac{2}{3}$ millim.), in dorso rectæ, sub-planæ, crasse impresso-punctatæ, sulco unguiculari nullo, ungue brevissimo, sub-recto. *Maxille* in labium inclinatæ, non impressæ, versus apicem angustatæ, extus rotundatæ, intus sub-rectæ, apice acuminato-rotundato; *labium* longius quam latius, longitudine saltem $\frac{2}{3}$ maxillarum æquant, versus apicem angustatum, ipso apice rotundato-acuminato. *Palpi* cephalothorace breviores (e:a $5\frac{1}{2}$ millim. longi), articulo tarsali cylindrato, ungue magno, leviter curvato, obtuso, dentibus paucis conicis subtus munito. *Pedes* prop. 4, 1, 2, 3, 4:ti paris cephalothorace e:a $2\frac{1}{2}$ longiores ($17\frac{1}{2}$ millim.) 1:mi paris $15\frac{1}{2}$, 2:di $13\frac{1}{2}$, 3:ti $12\frac{1}{2}$ millim. longi, tenuiter pubescentes et pilosi, aculeati: in 1:mi et 2:di paris pedibus non tantum femur (supra 1, 1, 1, antice 1) sed etiam tibia (2, 2, 2, subtus) et metatarsus (saltem 2, 2, 2, 2, subtus) aculeati sunt; supra tibiæ et metatarsi 4 anteriores pilos 2 longos sub-erectos gerunt. *Pedes* 4 posteriores multo densius aculeati: patellæ eorum

aculeis multis brevissimis supra et in lateribus armatæ sunt, sequentium articularum aculei sensim longiores. Ungues superiores magni, fortes, modice curvati, dentibus fortibus numerosis (in pedibus 4:ti paris c:a 10 et 12) secundum majorem partem longitudinis pectinati; unguis inferior parvus, muticus. *Abdomen* ovatum, postice sub-acuminatum, c:a 7 millim. longum, 5 latum, tenuiter pubescens, pilis aliquot longis in series secundum dorsum ordinatis. *Vulva* aream magnam, posteriora versus elevatam, sub-planam, postice incisam, sulcis duobus in tres partes divisam occupat: pars media, antice transverse dilatata, postice angusta, formâ fere est trifolii sive clavis brevis capite latissimo præditi, et utrinque alia parte extus et apice rotundata circumdatur. *Mamillæ* superiores brevissimæ, inferiores iis multo longiores, attamen breves, conicæ, articulis 2, 2:do brevissimo; mediæ minutissimæ, ægre dignoscendæ.

Cephalothorax ad maximam partem niger, piccum vel cæruleum colorem sentiens, parte thoracica pone pedes 2:di paris rubra. *Sternum* rufo-fuscum, marginibus nigricantibus. *Mandibulæ* nigropiceæ; *maxillæ* piccæ, *labium* nigro-piccum: omnes hæ partes cum coxis subtus nigro-pilosæ. *Palpi* rufo-picci. *Pedes* rubri, aculeis saltem superioribus nigris; 4 anteriores extus rufo-picci. *Abdomen* nigro-fuscum, maculis 2 rotundatis ad basin duabusque aliis versus medium paullo majoribus, cum prioribus trapezium postice latius formantibus, flavis: supra anum quinta macula flava sub-triangula adest. (Paullo pone maculas duas anteriores area vel macula parva rotundata glabra ferruginea conspicitur — an etiam in vivis?). Subtus fuligineum est abdomen, luteo-pubescens. *Mamillæ* sub-testaceæ.

Feminam unicam pulcherrimæ hujus araneæ possideo. Ab Enyoidis Europæis mihi cognitis differt pedibus robustioribus, tarsis articulo unguifero distincto carentibus, palpis apicem versus non incrassatis, mandibulis liberis, non versus basin coalitis, ut et mamillis inferioribus non parti cuidam communi basali impositis¹⁾. Mamillæ tamen inferiores, ut in reliquis Enyoidis, multo longiores sunt quam superiores et mediæ, quibus quo modo utatur aranea, haud facile dixerim.

Fam. AGALENOIDÆ.

Gen. *Miturga*²⁾ N.

Cephalothorax inverse ovatus, valde altus, supra undique convexus, impressionibus cephalicis nullis.

¹⁾ Conf. THOR., On European Spiders, p. 105. — In *En. affini* SIM. pars illa basalis (a latere visa) utriusque in margine exteriori et superiore procursum brevem obtusum, sursum directum ostendit!

²⁾ *μῖτος*, filium; *ἔργον*, laboro.

Oculi 8, sub-æquales, in duas series parallelas sub-rectas vel paullo procurvas, non multo a margine elypei remotas, dispositi.

Mandibulæ fortes, oblongo-ovatæ, ungue mediocri, curvato.

Maxillæ parallelæ, ad basin sub-angustatæ, in latere exteriore rotundatæ.

Labiium late truncatum, maxillis duplo saltem brevius.

Pedes prop. 4, 1, 2, 3, aculeati, unguibus trinis: superioribus pectinatis, inferiore ad ipsam basin deflexo, mutico.

Abdomen longius ovatum, cephalothorace non multo majus; mamillæ 6, superiores longæ, reliquis duplo longiores, articulis binis sub-æqualibus, quorum 2: dus sub-acuminatus est et in apice et toto latere inferiore tubulis textoriis vestitus.

Mores ignoti.

Genus familiæ Agalenoidarum adnumerandum, etsi formâ cephalothoracis unguiumque tarsorum magis cum Lycosoidis congruens.

M. lineata N.

Lutescenti-cinerea, partibus oris nigricantibus, cephalothorace in medio vittis tribus ad longitudinem ductis nigris aliaque vitta nigra minus distincta prope marginem utrinque; abdomine supra fusco, antice lineis fuscis et sub-testaceis alternantibus, postice maculis sub-testaceis, in ordines duas versus anum appropinquantes dispositis, ornato. — ♂♀ ad. Long. ♂ c:a 20½ millim.; ♀ c:a 23 millim.

Deser. ♀ ad. — *Cephalothorax* c:a 10½ millim. longus, 6 millim. altus, latitudine $\frac{2}{3}$ longitudinis æquanti, lateribus partis thoracicæ rotundatis, fronte leviter rotundata, sat lata (c:a 4½ millim.); antice rotundato-declivis, postice abrupte declivis, dorso leviter arcuato-convexo, sulco medio ordinario angusto, postico, parum ante coxas 3:tii paris sito; impressionibus cephalicis omnino nullis. *Sternum* rotundato-ovatum. *Oculi* sub-æquales: series postica, desuper visa, recta, ab antice visa paullo procurva, et longior quam antica, quæ parum procurva est; oculi medii aream rectangulam paullo longiorem quam latiore occupant; spatium inter oculos plerosque diametro oculi paullo minus est; oculi vero laterales inter se, ut et oculi medii antici a mediis posticis, spatio distant, quod oculi diametrum æquat; laterales postici a mediis posticis spatio hac diametro majore remoti sunt. *Mandibula* femore antico crassiores, fortes, longæ (c:a 5 millim.), latitudine plus duplo longiores, paullo por-

rectæ, dorso convexo, sulco unguiculari utrinque dentibus 2 fortibus conicis armato; unguis medioeris, fortis, curvatus. *Maxillæ* paralleliter porrectæ, ad basin angustatæ, in latere exteriori rotundatæ, in apice intus oblique truncatæ, convexæ, ad latus interius leviter impressæ. *Labium* maxillis duplo saltem brevius, sub-quadratum, lateribus rotundatis, versus apicem late truncatum paullo angustatum. *Palpi* longitudine cephalothoracis, metatarsis anticis parum crassiores, pilosi et aculeati, articulo ultimo cylindrato, non acuminato: unguis eorum tarsorum ungue angustior, dentibus c:a 7 pectinatus, quorum 2 primi minuti sunt, reliqui gradatim longiores, fortes; apex unguis longus, fortis, curvatus. *Pedes* satis robusti, pilosi et aculeis appressis armati, prop. 4, 1, 2, 3; 4:ti paris cephalothorace paullo plus 3:plo longiores (c:a 34 millim.; 1:mi paris 29½, 2:di 27½, 3:tii 24 millim.). Tibia 4:ti paris patellâ duplo longior est, in reliquis pedibus brevior; metatarsus 1:mi et 2:di paris brevior, 4:ti paris fere longior est quam tibia; metatarsus 1:mi—3:tii paris c:a dimidio, 4:ti paris duplo longior quam tarsus. Tibiæ et metatarsi omnes subtus et in lateribus, femora omnia, tibiæ et metatarsi 4 posteriores supra quoque aculeis longioribus appressis, subtus per paria (3) ordinatis armati; patellæ, femora subtus, tibiæ et metatarsi 1:mi et 2:di paris supra, aculeis carent; tarsi omnes et metatarsi saltem paris 1:mi—3:tii scopula densissima per totam longitudinalem vestiti. Pili scopularum apice non dilatati. Ungues tarsorum superiores breves, fortes, in pedibus 1:mi paris dentibus c:a 4 fortibus, gradatim longioribus, sat brevibus instructi; apex unguis longus, fortis, profunde deflexus; in pedibus 4:ti paris paullo longiores et debiliores sunt hi ungues, dentibus c:a 6. Unguis inferior, visu difficilis, ad ipsam basin in aculeum rectum fortem deflexus est, dente nullo. *Abdomen* fere cephalothoracis magnitudine (c:a 11—12 millim. longum, 6—7 latum), longius ovatum; vulva ex area constat cornea, sat magna, fere rotundato-hexagona, quæ callo limitatur postice præsertim altiori et latiori, in medio postice impresso, et costas duas, figuram \wedge -formem fere assimulantes, amplectitur. *Mamillæ* superiores (c:a 2 millim. longæ) reliquis duplo longiores, longe et dense pilosi, art. 1:mo cylindrato, 2:do angustiore, versus apicem angustato, in apice et in toto latere inferiore tubulis textoriis sat parvis, cylindrato-conicis minus dense vestitus; mamillæ inferiores superioribus duplo breviores, articulis duobus, 2:do brevissimo, medii etiam paullo breviores et angustiores, cylindrata.

Cephalothorax fusco-cinereus, dense cinereo-pubescentis, vittis tribus latis appropinquantibus nigris in medio, quarum media postice abbreviata est et lineæ tenui cinerea geminatur, duæ alteræ, posteriora versus sibi paullo appropinquantes, fere ad marginem posticum pertinent; præterea apud marginem utrinque vitta angustior, minus bene expressa, nigricans adest, ipso margine anguste cinereo. *Oculi* succinei coloris. *Sternum* rufescenti-vel fusco-cinereum. *Partes oris* nigro-fuscae, mandibulis cinereo-hirsutis. *Pedes*, ut *palpi*, fusco-vel rufescenti-cinerei, metatarsis extus et tarsis obscurioribus, coxis

omnibus in latere anteriore linea longitudinali impressa nigra distinctis; pilis densis cinereis, intermixtis nigris, vestiti, aculeis nigris. *Abdomen* subtus et in lateribus lutescenti-cinereum, dorso fuscio, antice lineis 3 clarioribus, cum fuscis alternantibus, ad longitudinem ductis, vix ad medium dorsi pertinentibus, postice vero ordinibus 2 (vel 3?) versus anum appropinquantibus, ex punctis majoribus luteo-cinereis formatis ornatum. Latera abdominis fusco-punctata. *Mamilla* sub-testaceæ.

Mas differt *cephalothorace* latiore, antice vero angustiore (in exemplo cujus cephalothorax 10 millim. longus est, frontis latitudo 4, lat. maxima vero $7\frac{1}{2}$ millim. æquat), *mandibulis* paullo angustioribus, dorso sub-recto, *abdomine* minore et præsertim angustiore, *pedibus* longioribus et gracilioribus (1:mi par. 22, 2:di 30, 3:tii 26, 4:ti $34\frac{1}{2}$ millim.), ut et *palpis*, qui cephalothorace paullo longiores sunt ($10\frac{1}{2}$ millim.; pars femoralis c:a 4, clava c:a $3\frac{2}{3}$ millim. longa). Pedum pili longiores, magis patentés. Pars patellaris palporum c:a dimidio longior quam latior, extus sub-incrassata: pars tibialis hac parte paullo longior, vix crassior, paullulo incrassata, dentibus tribus fortibus in apice lateris exterioris armata, quorum ultimus acuminatus est, apice incurvo, reliqui duo obtusi. Lamina bulbi vel pars tarsalis ovata, latitudine patellam 1:mi paris æquanti; *bulbus* nigro-fuscus, procurso parvo, truncato, albicanti in apice ad latus exterius. Color præterea ut in ♀; palpi extus cum clava nigricantes, pedes extus quoque obscuriores et pictura abdominis minus distincta.

Specimina duo, unum masculum, alterum feminineum examinavi.

Fam. THOMISOIDÆ.

Gen. *Stephanopsis* CAMBR. 1869.

S. Cambridgei n.

Cinereo-fuscus, cinereo- et nigro-sub-variatus, scaber, cephalothorace paullo longiore quam latiore, parte cephalica angustata, antice in tuberculum oculiferum rotundatum elevata, clypeo transverse impresso, mutico, integro, abdomine oblongo, supra modice et æqualiter convexo. — ♀ ad., long. c:a 10 millim.

Descr. ♀. — *Cephalothorax* inverse ovato-cordiformis, c:a 4 millim. longus, $3\frac{3}{4}$ fere latus, ad insertionem palporum valde angustatus, supra squamulis parvis spinisque brevissimis, crassis, obtusis scaber, parte thoracica postice truncata, in lateribus fortiter rotundata, supra fere plana (sed non humili), a margine postico sensim anteriora versus paullo declivi; parte cephalica parva, antice angustata, pone oculos transverse impressa et in tuberculum undique rotundatum, antice tamen fere perpendiculare elevata, hoc tuberculo oculos gerenti, antice spinis parvis vel potius setis paucis crassis, sub-clavatis prædito, qua-

rum 2 mediæ, valde appropinquantes, porrectæ sunt; impressionibus cephalicis postice in sulcos duos sub-parallellos abbreviatos productis, fovea vel sulco medio nullo, sulcis vero utrinque 2 vel 3 radiantibus minus distinctis; clypeo fere perpendiculari, sub oculos transverse impresso, scabro, altitudine dimidiam mandibulæ longitudinem fere æquanti. *Sternum* circulatum, squamis parvis tectum. *Oculi* fere in series tres ordinati: 4 posteriores sub-æquales, inter se spatio fere æquali et diametro oculi paulo majore distantes, in parte tuberculi oculiferi postica seriem (desuperne visam) rectam formant; 4 anteriores in latere tuberculi antico in trapezium posticæ (supra) multo latius, plus duplo latius quam longius, dispositi sunt; duo superiores horum oculorum reliquis majores sunt et ab oculis mediis et lateralibus seriei posticæ æque distantes; duo inferiores vero reliquis oculis multo minores, minimi. Oculi medii seriei posticæ cum oculis 2 seriei mediæ trapezium formant postice angustius, parum latius quam longius. *Mandibulæ* parvæ, metatarsis primi paris parum crassiores, cylindratae, latitudine fere duplo longiores, fere perpendiculares, in dorso scabræ, apice pilis paucis longis incurvis instructæ; ungue sat longo et forti, levius curvato. *Maxilla* in labium inclinatæ, oblongæ, sub-rectæ, in latere exteriore leviter sinuatæ, apice rotundatæ; *labium* magnum, dimidia maxilla longius, basi latius, apice rotundato-truncatum. *Palpi* mediocres, crassitie metatarsorum anticorum, cephalothorace breviores ($3\frac{1}{4}$ millim. longi), parte tibiali parum longiore quam patellari, tarsali apicem versus angustata; squamosi et aculeati; unguis satis fortis, fortiter curvatus, apice longo, dentibus c:a 4 crassis, brevibus, obtusis munitis. *Pedes* vix laterigradæ, prop. 1, 2, 4, 3, dense squamosi et in femoribus supra spinulis sub-clavatis sparsi, supra lineis 2 longitudinalibus impressis; anteriores 4 fortiores quam 4 posteriores; 1:mi paris præsertim fortes, femoribus medio sub-incrassatis. Longitudo pedum 1:mi paris 16, 2:di 14, 3:tii $8\frac{1}{2}$, 4:ti 13 millim. Tibiæ pedum 4 anteriorum subtus aculeis longis appressis 2, 2, 2, 2, 2, armatæ, metatarsi saltem 2, 2, 2. Ungues duo tantum breves, sat fortes, fortiter et æqualiter curvatæ, apice sat longo, subtus dentibus 4—6 (in pedibus 1:mi paris), exterioribus brevibus, crassissimis, obtusis armati. *Abdomen* inverse ovatum, c:a 6 millim. longum, $4\frac{1}{2}$ latum, basi truncatum, modice convexum, squamulis et tuberculis parvis vestitum, spinulisque crassis brevibus subclavatis sparsum, præsertim posticæ; venter squamulis minoribus tectum, ordinibus duabus punctorum impressorum. Vulva ex fovea sat magna et profunda, antice rotundata, longius ante rimam genitalem sita constat. *Mamillæ* breves, inferiores et superiores articulis binis, 2:do minuto; inferiores conicæ et crassiores quam superiores. quæ cylindratae sunt; medii parvæ, angustæ, cylindratae.

Cephalothorax palpi, pedes et abdomen fusco- vel rufescenti-cinerea, clarius cinereo- et nigro-sub-variata, parte cephalica linea tenui media setisque illis duabus porrectis anticis albicantibus. *Mandibulæ* fuscæ, *maxillæ* et *labium* testacea, basi nigro-fusca. Tarsi, excepto apice nigro, testacei; pedum 4 anteriorum patellæ apice an-

guste albicantes, tibiæ supra ante medium macula plus minus distincta sub-cinerea; tibiæ 4 posteriores fusco-testaceæ, basi nigræ; metatarsi 4 posteriores basi late et apice angustius nigri, præterea testacei. *Abdomen* cinereo-fuscum, granulis et spinulis clavatis albicantibus, rufescentibus et nigris variatum; venter cum *mamillis* clarius cinereo-testaceus, squamulis parvis ejusdem coloris tectus.

Femina adulta unica mihi cognita. Marem alius speciei ex Caffraria vidi. Sub-familiam propriam in familia Thomisoidarum hoc genus certe constituere debet, *Thomisiniis* quidem proximam, sed forma partium oris et cephalothoracis, pedibus non vel parum »laterigradis» cet. ab iis satis distinctam

Gen. *Hemiclea*¹⁾ N.

Cephalothorax oblongus, inverse sub-ovatus, valde depressus, fere planus, impressionibus cephalicis distinctis, clypeo humillimo, vix ullo, sternum oblongum, ante coxas anticas in peltam quasi vel collare dimidiatum productum.

Oculi 8, in duas series transversas, parallelas, appropinquantes ordinati; series postica longior.

Mandibulæ breves, sub-porrectæ, ungue tenui.

Maxillæ oblongæ, porrectæ, in medio lateris exterioris angustatæ; labium longum, angustum, sub-triangulum.

Pedes prop. 4, 2, 1, 3, cum palpis extus sub-incrassatis lateraliter extensi, genibus solo appressis, tarsis brevissimis, trochanteribus pedum 4:ti paris solito longioribus; ungues tarsorum bini, sat breves, fortiores.

Abdomen longius, valde depressum; mamillæ longiores, 6, superiores reliquis paullo longiores, ut inferiores articulis binis, 2:do brevi.

Vitæ degendæ ratio ignota.

Genus sub-familiæ *Philodrominorum* adscribendum, *Selenopi* DUF. et *Delena* (WALCK.) satis propinquum, oculorum situ, pedum proportione, longitudine trochanterum 4:ti paris insolita, forma sterni, abdominis et unguum pedum cet. abunde distinctum.

¹⁾ ἡμι- semi-; κλοιός, collare.

H. Sundevallii N.

Nigro- vel piceo-fusca, mandibulis et palporum articulis duobus ultimis nigris, abdomine cinereo-fusco, subtus clariore. — ♀ ad., long. c:a $10\frac{1}{2}$ millim.

Descr. ♀. — *Cephalothorax* oblongus, c:a 4 millim. longus, 3 millim. latus, inverse ovato-cordiformis, fronte late truncata, latitudine dimidiam partem thoracicam æquanti, hac parte in lateribus antice leviter, postice fortius rotundata; valde humilis, sub-planus, tenuis et rarius pubescens, impressionibus cephalicis distinctis, ad foveam ordinariam mediam sub-triangularam, postice (inter coxas 3:tii paris) sitam coëuntibus: ab hac fovea tres aliæ impressiones vel sulci utriusque abeunt radiantibus, duæ longiores, curvatæ anteriora versus, tertia retro directa. *Sternum* oblongo-ovatum, ante coxas 1:mi paris productum, apice ibi sub-dilatatum, late truncatum. *Oculorum* series antica recta, ad ipsum marginem frontis sita; postica paulo recurva, multo longior. *Oculi* antici, quorum laterales mediis manifeste majores sunt, inter se spatio sub-æquali distant, quod diametrum oculi maximi fere æquat; laterales postici, a lateralibus anticis spatio remoti, quod horum diametro duplo fere majus est, eadem fere sunt magnitudine qua mediis anticis; spatium inter oculos seriei posticæ etiam paulo majus quam quo distant laterales inter se; mediis aream antice angustiore, brevioris quam latiore occupant; postici eorum reliquis oculis multo minores. *Mandibula* sat parvæ, sed fortes, in dorso fortiter convexæ, breviter ovatæ, porrectæ, crassitie tibiæ 1:mi paris, 1 millim. longæ, $\frac{3}{4}$ millim. latæ, ungue medioeri, tenui, æqualiter curvato. *Maxillæ* latitudinis duplo longiores, ad basin pone insertionem palpi dilatatæ, apice extus rotundato-dilatatæ, apice intus oblique rotundato-truncatæ, porrectæ et sub-parallelæ, latere interiore sub-recto in labium paulo tamen inclinatæ. *Labium* longum, angustum, sensim angustatum, apice rotundato-truncato, dimidia maxilla longius. *Palpi* crassitie metatarsorum anticorum, cephalothorace multo breviores ($2\frac{1}{2}$ millim.), extus sub-incrassatæ, articulo tarsali supra magis convexo, obtuso, ungui parvo, tenui, extus fere in semi-circulum curvato, et dentibus paucis gradatim longioribus pectinato. *Pedes* breves, non robusti, tenuiter pilosi, aculeis paucis (2, 2, vel 2 ad basin) tenuibus subtus in tibiis et metatarsis armati: prop. 4, 2, 1, 3, (1:mi paris $9\frac{3}{4}$, 2:di 12, 3:tii 9, 4:ti $13\frac{1}{2}$ millim. longi), tarsi brevissimis; 4:ti paris cephalothorace plus 3:plo longiores, trochanteribus coxis longis paulo tantum brevioribus, patellam longitudine æquantibus (coxa 4:ti paris $1\frac{1}{2}$, trochanter $1\frac{1}{4}$, femur $3\frac{3}{4}$, patella $1\frac{1}{4}$, tibia 3, metatarsus $2\frac{1}{4}$, tarsus $\frac{3}{4}$ millim.); tarsi et metatarsi 4 anteriores scopula præditi. Ungues formâ in Philodrominis insolitâ, sat fortes et lati, non valde longi, prope basin leviter sinuati, tum subæqualiter et fortiter curvati, interior dentibus spississimis longis c:a 18, exterior c:a 7 tantum (in pedibus 1:mi paris: in 4:ti paris, ubi debiliores sed non longiores sunt ungues, apice longiore et magis deflexo, dentes pauciores sunt, præsertim in ungue interiore). Pili

scopularum breves, sub unguibus longiores quidem, sed (ut in gen. *Delena* et *Voconia*) non apice dilatati. *Abdomen* valde depressum, cephalothorace parum latius, longum, duplo circiter longius quam latius (ca 6 millim. longum, 3 latum), antice rotundatum vel sub-truncatum, postice sub-acuminatum, fusiformi-ovatum. Vulva ex area magna oblonga, antice rotundata et postice sensim paullo dilatata, truncata constat: antice in fundo membranam mollem transverse striatam monstrat; pars postica ejus cornea est, sulco medio longitudinali profundo, utrinque transverse leviter bis impressa et antice (ad membranam illam) sub-triangulariter emarginata. *Mamillæ* longiores: superiores extus paullo incrassatæ, deorsum sub-curvatae: art. 1: mus versus basin angustatus, latitudine maxima duplo saltem longior, 2: dus diametro sua brevior, apice late et oblique truncato; inferiores dimidio fere breviores, sed non angustiores quam superiores, sub-cylindratae, apice obtuso; mediæ multo angustiores et breviores, cylindratae, in apice truncatae.

Cephalothorax nigro-piceus. *Mandibulae* nigrae, ungue extus rufescenti. *Maxilla* et *labium* nigro-fusca. *Sternum* piceo-fuscum, margine anguste nigro. *Palpi* picei, articulis duobus ultimis nigris. *Pedes* quoque piceo-fusci, posteriores interdum paullo clariore, testaceo-fuscae; anteriores apice nigricantes. *Abdomen* supra cinereo-fuscum vel fuligineum, subtus paullo clarius, vulva postice fusca. *Mamillæ* fuscae. In ♀ juniore, æque fere magna atque adulta, corpus fere totum cinereo-testaceum est, mandibulis paullo obscurioribus, oculis maculis nigricantibus insidentibus et sterui margine anguste nigricanti.

Feminas tres, duas adultas, tertiam juniorem possideo.

Gen. *Voconia* ¹⁾ N.

(*Delena* WALCK. ad partem).

Cephalothorax æque circiter longus atque latus, deplanatus, clypeo humillimo.

Oculi in series duas transversas, parallelas dispositi: series postica longior, antica recta vel paullo procurva; spatium inter oculos 4 anteriores, quorum laterales paullo majores sunt quam medii, oculi maximi diametrum non superat.

Mandibulae fortes, ovatae, in dorso convexae.

Maxillæ oblongae, extus rotundatae, in labium sub-semicirculare, apice truncatum paullo inclinatae.

Pedes longi, robusti, scopula densa et lata præditi; 4 posteriores vix graciliores, sed breviores quam 4 anteriores; ungues

¹⁾ *Voconius*, nom. propr.

2, parvi, longi, angusti, ad maximam partem sub-recti, dentibus multis (saltem in ungue interiore) pectinati.

Abdomen oblongius, non valde depressum.

Vitæ genendæ ratio ignota.

Genus a *Delena* (WALCK.) oculorum situ et distantia inter se præcipue distinctum.

V. insignis N.

Nigro-fusca, cephalothorace ad margines præsertim pilis cinereis variato, femoribus cinereis, supra nigro-maculatis, tibiis anterioribus annulo medio lato cinereo, non in lateribus tantum, sed etiam supra aculeatis; abdomine luteo- vel ferrugineo-cinereo, supra vittis irregularibus transversis alternantibus fuscis et luteo-cinereis. — ♂♀ ad.; long. ♀ c:a 38, ♂ c:a 23 millim.

Descr. ♀. — *Cephalothorax* inverse orbiculato-cordiformis, æque longus ac latus (plus 13 millim.), fronte truncata, vix altiore quam diameter oculorum anticorum, dimidia parte thoracica paullo latiore (c:a $7\frac{1}{2}$ millim.); humilis valde, fere planus, impressionibus cephalicis distinctis, linea media tenui impressa per partem cephalicam ducta, sulco medio ordinario angusto longo, a parte cephalica fere ad marginem cephalothoracis posticum pertinenti; dense appresso-pubescent, ad margines omnes longius pilosus. *Sternum* rotundato-ovatum, æquale, planum. *Oculi* in duas series parallelas dispositi; series antica, a margine clypei spatio remota, quod dimidiam oculorum diametrum vix æquat, parum procurva, fere recta; postica, in latere superiore capitis locata, recta, longior. *Oculi* laterales, extremitatibus calli obliqui impositi, inter se spatio distant, quod diametro oculi saltem dimidio majus est; medii postici reliquis multo minores sunt, laterales antici paullo majores quam medii antici et laterales postici; medii 4 aream postice latiore occupant, quæ area paullo latior (postice) est quam longior. Spatium inter oculos 4 anteriores diametrum oculi maximi non æquat, inter 4 posteriores vero hac diametro duplo vel (inter posticos medios et laterales) ultra majus est. *Mandibulæ* fortes, ovatæ, sub-porrectæ, latitudine = $\frac{2}{3}$ longitudinis (6 millim.), in dorso fortius, in lateribus levius convexæ, sulco unguiculari in margine interiore dentibus 3, in exteriori 1, armato, his dentibus fortibus, brevibus, conicis; unguis magnus, fortis, æqualiter curvatus. *Maxillæ* basi angustatæ, in latere exteriori rotundatæ, apice intus late truncatæ, in labium parum inclinatæ, convexæ, non impressæ. *Labium* fere semi-circulare, longitudine dimidiæ maxillæ, apice ipso truncato. Omnes hæ partes pilis longioribus villosæ. *Palpi* cephalothorace longiores (c:a $16\frac{1}{2}$ millim.), metatarsis anticis paullo crassiores, parte tarsali paullo curvata, cylindrata, apice ro-



tundato. *Pedes* longi, robusti, sensim paullo attenuati, prop. 2, 1, 4, 3; 2:di paris cephalothorace plus 5:plo longiores (69 millim.: femur $18\frac{1}{3}$, patella $8\frac{1}{3}$, tibia $17\frac{1}{2}$, metatarsus $18\frac{1}{4}$, tarsus 4 millim. longus; 1:mi paris $60\frac{1}{2}$, 3:tii 49, 4:ti $50\frac{1}{2}$ millim.), dense pubescentes et pilis longis villosi, aculeis multis appressis armati; femora supra et in lateribus, tibiæ præsertim subtus et in lateribus aculeata (in pedibus 1:mi paris e. g. femur antice aculeum 1, supra 1, 1, postice 1, 1, 1 ostendit; tibiæ 1:mi (et 2:di) paris antice 1, 1, supra 1, 1, postice 1, 1, infra 2, 2, 2 aculeos habent — an ita semper?); metatarsi et tarsi scopula valde lata et densa e pilis longis formata instructi. *Abdomen* oblongum (c:a 22 millim. longum, 18 millim. latum), supra modice convexum, antice sub-truncatum, posteriora versus sub-dilatatum, inverse sub-ovatum, dense pilosum. Vulva ex fovea magna cornea, semi-elliptica, postice truncata, non profunda, fundo fere plano, impressionibus paucis inæquali constat. *Mamille* superiores sat breves, basi angustiores, sub-clavatæ, articulis 2, 2:do brevissimo; inferiores iis paullo breviores et angustiores, conicæ, art. 2:do brevi, oblique truncato; mediæ multo minores, sub-cylindratae.

Cephalothorax in fundo nigro-fuscus, pube densa fusca vestitum, præsertim versus margines cinereo-variatus. *Mandibulæ* nigræ, dense cinereo-pubescentes, cum *sterno*, *maxillis*, *labio* et *coxis* nigro-fuscis ferrugineo-vel luteo-pilosæ, in apice ad sulcum unguicularem, ut et maxillæ apice, longius rufo-pilosæ. *Abdomen* supra fuscum, maculis et striis inæqualibus et incongruentibus ferrugineo-cinereis densis variato, ita tamen, ut vitta clarior angusta in medio antice (in ♀ saltem) et fasciæ quædam transversæ, confusæ, versus anum sensim angustiores distingui possint. Latera abdominis ferrugineo-cinerea, dense fusco-strigosa. Venter cum *mamillis* ferrugineo-cinereus, vulva fusco-ferruginea.

Mas paullo minor (long. et lat. cephalothoracis c:a 11, long. abdominis 12, lat. ejus $7\frac{1}{2}$ millim.), pedibus longioribus et gracilioribus, 2:di paris cephalothorace plus 6:plo et dimidio longioribus (1:mi paris 60, 2:di 71, 3:tii 47, 4:ti $48\frac{1}{2}$ millim. longis); mandibulis minoribus (crassitie femorum 1:mi paris), minus convexis. *Palpi* cephalothorace fere dimidio longiores: pars patellaris cylindrata, vix longior quam latior, tibialis eâ parum longior, extus sensim incrassata, apice lateris exterioris in spinam producto fortem, acuminatam, supra ad longitudinem excavatam, apice spinæ sub-intorto et incurvo. Pars tarsalis sive lamina femore 1:mi paris paullo latior, paullo brevior quam patella ejusdem paris, oblongo-ovata. Bulbi superficies inferior primum (ad basin) formam fere auris humani dimidiati præ se fert, tum (ad apicem helice magna, gyris saltem decem occupatur, quæ helix ex seta omnium longissima et pulcherrime involuta formata est.

Specimen adultum utriusque sexus possideo. *Delena immani* L. KOCH¹⁾ valde affinis hæc species certe est; aculei vero

¹⁾ Beschr. neuer Arachn. u. Myriap., in Verhandl. der zool.-bot. Gesellsch. in Wien, 1867, p. 36 (208).

pedum non ut in illa sunt ordinati, et color quoque paullo diversus videtur.

Heteropoda (LATR.) 1804¹⁾.

(Sarotes (SUND.), Olios (WALCK.), Ocypete (C. KOCH)).

1. *H. calligaster* N.

Ferrugineo-testacea, fusco-sub-variata, cephalothorace alte convexo, partibus oris nigris, femoribus subtus flavo-punctatis, tibiis subtus nigris, fascia media et apicali flavis vel albicantibus; venter linea nigra transversa ante rimam genitalem et pone eam macula magna, sub-transversa, semi-lunata vel sub-triangulara atra. — ♂♀ ad. Long. ♀ c:a 21, ♂ c:a 18 millim.

Descr. ♀. — *Cephalothorax* valde et æqualiter convexus, tenuè pubescens, dorso alte arcuato, impressionibus cephalicis nullis, sulco medio ordinario angusto, paullo pone centrum orienti, vix $1\frac{1}{2}$ millim. longo; in lateribus æqualiter rotundatus, paullo longior (8 millim.) quam latior (7 millim.), fronte lata ($4\frac{2}{3}$ millim.), rotundato-truncata. *Sternum* cordiforme. *Oculi* in series duas, extremitatibus paullo appropinquantes dispositi; anterior paullulo procurva, (in junioribus recta), posterior, quæ longior est, ab antice visa, procurva, desuper visa, recta. *Oculi* seriei anterioris inter se æque distantes, diametro oculorum lateralium anteriorum, qui mediis anticis parum majores sunt, inter se remoti. Clypei altitudo diametrum oculi non superat. *Oculi* medii postici, reliquis minores, inter se spatio distant, quod oculi diametro plus duplo majus est; spatium inter eos et laterales posticos, qui mediis anticis paullo minores sunt, etiam paullo majus. *Oculi* laterales callo obliquo humili communi impositi, et inter se spatio remoti, quod oculi maximi diametrum saltem æquat; 4 medii aream occupant antice angustiore, paullo latiore quam longiore. *Mandibulæ* fortes, ovatæ, c:a $3\frac{2}{3}$ millim. longæ, $2\frac{1}{3}$ latæ, femoribus multo (fere duplo) crassiores, in dorso convexæ, pilosæ, sulco unguiculari in margine interiore dentibus 3, in exteriori 2, sat parvis, inæqualibus, conicis armato. *Unguis* medioeris, fortis, æque curvatus. *Maxillæ* oblongæ, versus basin angustatæ, in latere exteriori et apice rotundatæ, circa labium paullo curvatæ et sub-inclinatæ, convexæ, non impressæ. *Labium* transversum, dimidia maxilla brevius, apice rotundatum. *Palpi* c:a $8\frac{1}{2}$ millim. longi, articulo tarsali versus apicem paullulo incrassato, obtuso. *Pedes* prop. 2, 1, 4, 3 (1:mi paris 27, 2:di 29 $\frac{1}{2}$, 3:tii 21, 4:ti 23 $\frac{1}{2}$ millim. longi), minus robusti, breviores, 2:di paris cephalothorace paullo plus 3:plo et dimidio longiores (femur 7 $\frac{1}{2}$, patella 3 $\frac{1}{2}$, tibia 6 $\frac{1}{2}$, metatarsus 7, tarsus 2 millim.), dense pubescentes, pilosi, aculeis armati: femora supra (1, 1) et in

¹⁾ Conf. THORELL, On European Spiders, pp. 173—174, 177—179.

lateribus aculeati, tibiæ 4 posteriores in lateribus et subtus tantum, 4 anteriores aculeo 1 supra quoque, ad basin (an semper ita?). Metatarsi et tarsi scopula densa præditi. *Abdomen* brevius ovatum (c:a 12 millim. longum et 10 millim. latum), satis convexum. Vulva ex impressione fere \surd - vel postius Y-formi, callo corneo, postice abrupto limitata, constat. *Mamillæ* superiores angustæ, cylindratæ, inferioribus paullo longiores, inferiores sub-conicæ, articulo 2:do in utrisque brevi.

Cephalothorax ferrugineo-testaceus, strigis vel lituris parvis fuscis præsertim versus latera plus minus distincte sub-variatus. *Sternum* fusco-testaceum. *Mandibulæ* nigre, longius fulvo-pilosæ; *maxillæ* et *labium* quoque nigra, illæ apice testacæ et ibi pilis longissimis fulvis vestitæ. *Pedes* ut *palpi* fusco- vel ferrugineo-testacei, metatarsis tarsisque fuscioribus; coxæ subtus stria vel macula cinerea, femora subtus dense flavo-punctata, patellæ subtus argentæ, summo apice nigro, tibiæ supra in medio infuscatis, subtus nigre, vitta transversa media et apicali latis, pulchre flavis, in pedibus posterioribus albidis. *Abdomen* ferrugineo- vel luteo-testaceum, maculis parvis clavioribus punctisque nigris (quorum duo paullo majora pone medium dorsi plerumque conspiciuntur) in dorso plus minus distincte variatum, interdum sub-unicolor; venter lineam nigram transversam angustam ante vulvam, et pone eam maculam magnam transversam, postice rotundatam aut acuminatam, atram exhibet: ab hac macula ad mamillas fascia lata media aurantia ducta est; apud eam linea vel macula flava obliqua et pone hanc alia linea obliqua nigra utrinque plerumque conspiciuntur. *Mamillæ* testacæ.

♂ *adultus*. — *Cephalothorax* (9 millim. longus, 8 millim. latus) minus altus quam in femina, strigis parvis fuscis dense variatus; clypeus æque altus ac diameter oculorum. *Mandibulæ* angustiores et longiores (5 millim. longæ, $2\frac{1}{2}$ millim. latæ). *Palpi* 10 millim. longi; pars patellaris æque longa ac lata, tibialis eâ paullo longior, fusca, extus dilatata, et in apice lateris exterioris calcari fortissimo, fere falciformi, nigro, glabro, deorsum curvato, extus compresso et dilatato, apice breviter acuminato armata. Lamina bulbi parum latior quam femur 1:mi paris, latitudine duplo longior, oblongo-ovata, nigro-fusca; superficies bulbi subtus ad basin in callum latum, in gyrum curvatum et ad longitudinem exaratum elevata est, antice vero helicem gyris c:a 5, ex seta longa formatam exhibet. *Pedes* longiores: 2:di paris cephalothorace fere 4:plo longiores (34 millim.; 1:mi paris 33, 3:tii 25, 4:ti 27 millim.); femora supra dense cinereo- et fusco-punctata; tibiæ 4 anteriores supra aculeis 1, 1, posteriores 1 (versus apicem) armatæ. *Abdomen* angustius ovatum, long. $8\frac{1}{2}$, latit. 6 millim., vitta aurantia pone maculam magnam atram minus manifesta. Præterea in marem convenit descriptio feminæ.

Tria exempla, duo feminea et unum masculum, possideo.

2. *H. Pessleri* N.

Rufo- vel ferrugineo-fusca, mandibulis rufo-piceis, femore non crassioribus, sterno, maxillis, labio et coxis anterioribus subtus, nigris; abdomine supra luteo-fuscum, subtus clarius, linea transversa nigra pone vulvam. — ♀ ad., long. c:a 20 millim.

Descr. ♀. — *Cephalothorax* æque longus atque latus (c:a $8\frac{1}{2}$ millim.), modice convexus, dorso leviter tantum arcuato, tenue et minus dense pubescens, impressionibus cephalicis ad latera manifestis, sulco medio ordinario angusto, a centro cephalothoracis initium capienti, longiore (fere $2\frac{1}{2}$ millim.); parte cephalica humili, sub-plana, fronte lata (5 millim.), rotundato-truncata, parte thoracica in lateribus æqualiter et fortiter rotundata. *Sternum* ovato-cordiforme. *Oculorum* series fere parallellæ, vix extremitatibus appropinquantes, ab antice visæ parum procurvæ, desuperne visæ rectæ, postica longior; clypei altitudo diametrum oculi maximi non æquat. Oculi medii seriei posticæ, reliquis duplo fere minores, inter se spatio distant quod oculi diametro plus duplo majus est; spatium inter eos et laterales posticos, qui mediis anticis paullo minores sunt, etiam paullo majus. Oculi laterales, callo obliquo impositi, inter se spatio remoti, quod oculi maximi diametrum superat; 4 medii aream occupant antice angustiores, vix latiore quam longiorem. Oculi seriei anticæ inter se propius absunt quam diametro oculorum mediorum, qui manifeste minores sunt quam laterales. *Mandibulæ* ovatæ ($3\frac{1}{2}$ millim. longæ, $2\frac{1}{2}$ latæ), femore antico non crassiores, in dorso modice convexæ, dense pubescentes; sulco unguiculari utrinque longe piloso, in margine interiore dentibus 3, in exteriori 2, brevibus, obtusis armato. Unguis mediocris, æqualiter curvatus. *Maxillæ* ovatæ, lateribus sub-rectis, in apice rotundato ciliis valde longis instructæ, in labium paullulo inclinatæ. *Labium* sub-transversum, fere semi-circulare, apice tamen truncato, dimidia maxilla multo brevius. *Palpi* cephalothorace parum longiores (9 millim.), articulo tarsali sub-incrassato, paullo curvato, obtuso; pilosi et aculeati, dense pubescentes. *Pedes* prop. 2, 1, 4, 3 (1:mi paris $31\frac{1}{2}$, 2:di $33\frac{1}{2}$, 3:tii 25, 4:ti $27\frac{1}{2}$ millim.), 2:di paris cephalothorace fere 4:plo longiores (femur $9\frac{1}{2}$, patella $4\frac{1}{4}$, tibia $7\frac{1}{2}$, metatarsus $8\frac{1}{4}$, tarsus $2\frac{1}{2}$ millim.), pube longiore sat densa sericea et pilis longioribus vestiti, aculeisque armati: femora supra (1, 1) et in lateribus aculeati, tibiæ quoque non tantum in lateribus et subtus, verum etiam supra (1, 1 in pedibus 4 anterioribus; 1, apicem versus, in 4 posterioribus) aculeati. Metatarsi et tarsi scopula densa præditi. *Abdomen* ovato-sub-pentagonum, antice truncatum, postice paullo latius, parum convexum. Vulva ex area corneâ oblonga, inverse sub-ovata, antice acuminata, sulco et callo limitata, in medio leviter et late excavata constare videtur. *Mamillæ* superiores cylindratæ, inferiores, qui paullo breviores et crassiores sunt, sub-conicæ, articulo 2:do in utrisque brevi.

Cephalothorax, palpi et pedes rufescenti-fusci, pube et pilis clarioribus sub-luteis tecti: aculei nigri. *Mandibula* rufo-piceæ, luteo-pilosæ, apice rufo-ciliatæ. *Sternum*, *maxilla* et *labium* atra, illæ in apice sub-testaceo rufo-ciliatæ, præterea cum sterno fuligineo-pilosæ. *Coxæ* quoque anticæ subtus totæ, reliquæ ad basin, antice, nigra. Femora anteriora *subtus* cinereo-, reliqua magis luteo-, pubescentia; patellæ subtus dense albido-pubescentes, tibiæ subtus ad basin et apicem late nigro-fusca, in medio dense albo-pubescentes. *Abdomen* supra testaceo-vel luteo-fuscum, sub-fuliginum, unicolor; venter luteus, linea nigra transversa secundum rimam genitalem ducta; vulva fusca.

♂ ignotus. — Feminam unicam cognovi.

Fam. LYCOSOIDÆ.

Gen. *Tarentula* (SUND.) 1833.

T. Leuckartii N.

Fusco-cinerea, cephalothoracis margine striisque novem radiantibus, his postice fusco-marginatis, albicantibus; cephalothorace longitudine patellæ et tibiæ 4:ti paris conjunctim, serie oculorum 1:ma, quorum medii majores sunt quam laterales, breviora quam 2:da; abdomine supra fusco-cinereo, macula subhastata fusca antice, tum ordinibus duabus ex maculis parvis albicantibus antice nigro-marginatis, lineâ transversâ angulatâ fusca vel albâ binis sub-conjunctis; ventre nigro-fusco, plaga media clariore. — ♀ ad., long. c:a 28 millim.

Descr. ♀. — *Cephalothorax* c:a 12 millim. longus, 9 millim. latus, longitudine patellæ et tibiæ 4:ti paris conjunctim, dense appressopubescent, lateribus partis thoracicæ leviter rotundatis, dorso longo fere recto, inter oculos posteriores paullo tantum, postice vero modice declivis, fronte perpendiculari; latit. clypei c:a 5 millim., altitudo ejus non major quam diameter oculorum anticorum mediorum. Series oculorum 1:ma brevior quam 2:da, sub-procurva; oculi ejus medii manifeste majores quam laterales; omnes inter se spatio subæquali et diametrum oculi minimi haud æquant distant, et ab oculis seriei mediæ spatio remoti, quod hanc diametrum vix æquat; oculi seriei 2:de duplo minores quam seriei 3:tiæ, et manifeste majores quam medii seriei 1:mæ; oculi 4 posteriores aream postice paullo latiore occupant, paullo breviora quam latiore, longitudine paullo plus $\frac{2}{3}$ longitudinis cephalothoracis æquantem. *Sternum* sub-ellipticum, antice rotundatum, postice acuminatum, 1 millim. longius quam latius. *Mandibula* crassitie femorum anticorum, tarso 4:ti paris paullulo longiores (5 millim. longæ, $2\frac{1}{2}$ latæ), modice con-

vexæ, sulco unguiculari in margine interiore dentibus 3 sub-æqualibus, in exteriori 2 inæqualibus armato; ungue forti, mediocri ($2\frac{1}{2}$ millim.). *Maxillæ* oblongæ, extus dilatatæ, circa labium curvatæ, at porrectæ, apice intus oblique truncato, convexæ; *labium* basi angustatum, apice late truncatum. *Palpi* crassitie metatarsorum, cephalothorace breviores ($11\frac{1}{2}$ millim.), ut pedes pube densa vestiti, pilosi et aculeati. *Pedes* satis robusti, prop. 4, 1, 2, 3 (1:mi paris $34\frac{1}{2}$, 2:di 32, 3:tii $30\frac{1}{2}$, 4:ti $40\frac{1}{2}$ millim.); 4:ti paris (cujus femur $9\frac{1}{2}$, patella 4, tibia 8, metatarsus 11, tarsus 5 millim. fere æquat) cephalothorace $3\frac{1}{3}$ longiores. *Abdomen* inverse ovatum, in exemplo uno lustrato longitud. 15, latit. $10\frac{1}{2}$ millim.; vulva constat ex fovea parva oblonga, antice paullo angustiore et apice bis rotundata, quæ costa media longitudinali in duas dividitur.

Cephalothorax in fundo piceus, pube densa appressa fusco-cinerea vestitus, margine undique anguste (postice vero paullo latius) et stria media in declivitate postica albicantibus; striis præterea obliquis, utrinque 4, 1 in parte cephalica, reliquis in parte thoracica, a dorso versus coxas radiantibus, iis quoque albicantibus, postice nigro-vel fusco-marginatis. *Sternum* nigro-fuscum, fusco-pilosum. *Mandibulæ* nigrae, dorso e pube densa, appressa oblique cinereo-flavo, intus vero et ad apicem atro. *Maxillæ* et *labium* nigra, illæ, apice præsertim, fusco-pilosæ. *Palpi* et *pedes* supra pube densa fusco-cinerea tecti, parte tarsali illarum subtus fuscior, coxæ (et trochanteres) subtus nigro-piceæ, fusco-pubescentes, tibiæ 3:tii et interdum 4:ti paris apice late subtus infuscatæ. *Abdomen* supra pube densa fusco-cinerea tectum, pictura fere ut in *T. fabrili*: antice adest macula magna oblonga, posteriora versus sub-dilatata et ibi apice emarginata, sub-hastata, tum utrinque series ex maculis parvis albicantibus, antice nigro-marginatis, versus anum descrentibus; inter has maculas binas lineæ transversæ angulatæ fusca, postice albicanti-marginatæ, plus minus distinctæ conspiciuntur; latera abdominis, infra clariora, cinereo-testacea sunt; venter totus, excepto plaga media inæquali clariore, cum mamillis nigro-fuscus.

Feminas duas adultas possideo. — Mas ignotus.

[Ed. 9 Nov. 1870.]

Skänker till Vetenskaps-Akademiens Bibliothek.

(Forts. från sid. 366.)

Från Zoologisch-Mineralogischer Verein i Regensburg.

Correspondenzblatt, Jahrg. 23.

Från K. K. Hof-Mineralienkabinet i Wien.

29 småskrifter af mineralogiskt innehåll.

Från Nordamerikanska Förenta Staternas konsulat i Stockholm.

Rapport från General Land-kontoret, 1867. Washingt. 1869. 8:o.

Från Hr G. H. Strähle på Rörstrand.

HAWKS, F. L. Narrative of the expedition of an American Squadron to the China seas and Japan, 1852—1854, under the command of commodore M. C. PERRY, Vol. 1—3. Washingt. 1856. 4:o.

Från Hrr Samson & Wallin i Stockholm.

Jägarförbundets nya tidskrift, Årg. 7.

Från Författarne.

BJÖRLING, E. G. Elementar-lärobok i Algebra. 8:o uppl. D. 2: 2.

WITTRÖCK, V. W. Om Fanerogam- och Thallogam-vegetationen i Skandinavien's Ilex-region. Ups. 1869. 8:o.

SETTIMANI, C. D'une seconde nouvelle methode pour déterminer la parallaxe du soleil. Florence 1870. 8:o.

Skänker till Rikets Naturhistoriska Museum.

Zoologiska afdelningen.

Af Jägmästaren Bohman.

En *Ardea stellaris* från Öland.

Af Hr Th. Bäckström.

En *Strix tengmalini*.

Af Jägmästaren Hollgren genom Hr A. E. Holmgren.

En *Aquila nævia* fr. Nyköpings skärgård.

Af Conservatorn W. Meves.

12 st. sällsynta foglar från Skåne, Öland m. m.

17 st. fogelbon.

104 st. foglar, mest från N.V. Ryssland (Petersburg—Archangel); men deribland några från Östra Siberien, erhållna i Petersburg, och en *Chionis alba* från Cap Horn, erhållen i Helsingfors.

Vidare 2:ne Harar, 1 fogelskelett samt några Reptilier m. m. från N.V. Ryssland.

Af Hr C. G. Erichsson.

En *Vipera berus* från Upland.

Af Österrikiske Forst-Director Baron Wilh. von Bergh.

En *Capra rupicapra* från Alperna.



